



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Vita Et Institvto S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris. Libri Qvinque

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1665

XIII. Tertia, odere improbi, suæ improbitati obstinentes, quocumque tandem modo ei obstiterint.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10840

miraculo futurum, si vllius vnquam apologetici machina reuellantur, præterquam quod enim pronior est in acculatorem, quàm in patronum fides; plus valet saepe confictis mendacium, quàm rectis veritas ad persuadendum, illudque Ambrosij de lilio, etiam plerumque in virtutem cadit, à maledictis laceratam, *que tanti est artificis manus, que possit lily speciem reformare?* Quæ confutandi vis tam perita, & potens, vt quantacumque contentione ingenij & artis primo flori probitatis, famam restituat, publica semel infamiae, aut vituperationis vredine perstrictam?

XIII.

Tertia, odere improbi, sua improbitati o'sistentes, quocumque tandem modo ei obstiterint.

Sap. 1.

Tertia est, quod inter Catholicos bene multi, tam illustre hoc Catholici nomen, labris solum extremis retinent; habentque in promptu tantillum id ex quo se nominant, expuere, si non vereantur ne flatu eodem rogam sibi accendant, palam alioqui professuri alius Machiauellum, Epicurum alius, etiam non nemo Diagoram, hoc est homines sine Religione, sine anima, sine Deo. Ab his quicumque diuersâ graditur, vel hoc solum ab eo offendi se putant, eiusque occursum sui esse censuram, quin vt de pallio Tertullianus dixit illius, vel *ipse habitus sonat*, pessimam eorum de diuinis mentem, & vitam peiorem: militare verò sacramentum aduersus vitia apertè suscepisse, longè grauius illos vrit, cum sint omnibus infensi qui non sunt eorum vitis amici. Planè illud scelestum, & deliberatum sacrilegè *circumueniamus iustum*, aliundè non fluxit, nisi quod *contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis*. Sed sinantur hi sanè coaxare, & scribere, tales denique agnoscendi quales ranas describit Augustinus, *de paludibus personantes tanto tumultuosius, quanto sordidius ex delictorum cæno*. Ad extremum verò si fortè accidat vt contra rem suam venisse nos credant, tunc demum viuaces Iacob inter, & Elaiù incrudescunt inimicitiae: cœperant illæ materno ex utero, nec potuerat communitas illius hospitij longè ab se dispar ingenium emendare; nec agrestis alter, & multum de bestia sapiens, alterius Angeli contubernium sustinere; sed hæc demum rixa ad summum euasit, cum id sibi Iacobi vindicauit industria, quòd iure suum iam fecerat; tunc enim tandem mors ipsi decreta est; tunc ei ad eam vitandam necessitate indictum exilium. Iisdem his actus stimulis scripsit quidam (fortè adhuc superstes) ediditque variis titulis, & idiomatis libros contra Societatem quatuordecim singulos ex æquo pessimos; vt sunt *Mysteria Patrum Societatis Iesu. Actio perduellionis in Iesuitas. Anatomia Societatis Iesu. Iesuita exenteratus. Arcana Societatis. Relatio Alfonso de Vargas, Consultatio fratris Iuniperi. Relatio Fratris Ludonici Soteli*, & his per similes. Atque ad istius farinae homines alludere visus est Paulus IV. Pontifex Max. cum patres alloquens primi nostri consellus Generalis, & in iis coram genu flexis Societatem recens natam. *Ne puetis, inquit, vos melioris esse conditionis, quàm legis vtriusque sanctos Dei legatos. Similiter vobis coninget, multi enim non recipiem vos, nec doctrinam vestram, sed persequentur vos, & interficient, obsequium se præstare Deo arbitantes. Perturbatissimum enim seculum hoc est, quo Dominus vocauit istam beatam Societa*

Societatem. Ecclesiam Dei diris modis vexari, & ubique ferè oppugnari videmus. Oppugnant Christi sponsam, non tantum à fide alieni, barbari, & qui in nouis insulis Christianum nomen hostiliter insectantur, sed etiam illi qui communi nobiscum Christianorum nomine gloriantur.

Quarto, priuatorum seu nauis, seu lapsus, largitate iniquè prodiga in omnes conferuntur, & ex acini liuore, non racemus tantum, sed & vitis ad falcem damnatur. Communitatem hominum, culpæ semper ubique experitium, frustra quis extra cælum quærat; illic inter beatos nemo umbram mittit vlliùs nubeculæ, cum sit illorum cuiusque lux septemgemi solis, hic lumine vtinur lucernarû, quæ ex S. Ambr. non extinguuntur solum defertæ pabulo, sed olent extinctæ grauitè, & latè putorem adstantibus inhalant. Non est vbi aliquid peccatur, ordo religiosus propterea malus; alioqui nullus sit vsquam bonus; sed vbi impunè peccatur. Nam si errans punitur, inquit Augustinus, in ornamenta errores vertuntur, vt piceas umbræ manu erudita dispensatæ distingunt, & distinctio ordinis mater est; Ita lapsuum prudens negotiatio, quæ meritâ illorû castigatione peragitur, vigere ordinem demonstrat, & viuendi regulam tenere: quo etiam modo, ex criminibus hominum exprimit sibi diuina iustitia gloriam dum ea suppliciis vindicat, quorum hæc sapiens administratio id facit, aut si minus specie, at saltem ordine placeant; sic enim ipso faciente pulchra sunt singula, ipso ordinante, pulchra sunt omnia. Verumenimverò, si vnus ex omnibus reus, cur omnes inuoluat damnantis sententia? fiat id prorsus quod se facere solitum Ferdinandus II. Imperator aiebat *Alicui ex Societatis hominibus irasci possum, Societati vniuersa non possum.* Ne dignus laqueo parricida Iudas, totum faxit secum laqueo reum Christi collegium; nec tot hominum millia; maximam partem nec de ingenio inuicem, nec de facie nota, perinde vnus in mente censeantur vt omnis in Adamo illius posteritas; sitque propterea vnus contra fas, sermone factõve admissum, omnium odio, pœnæque mulctandum. Si iusto humanius videtur, multorum virtute, paucorum culpas prætexere, hoc saltem æquitati detur, ne paucorum error, virtuti officiat plurimorum. Durum hoc & intolerandum queritur Augustinus, ad populum scribens, offensum duorum ex suis, mutua accusatione, ex qua necessariò aut alter impudicus, aut erat alter pronuntiandus calumniator. [Nempe esse hominum genus quibus vnice cura sit venari, an Episcopus Sacerdos, Monachus, aut virgo Deo consecrata, in aliquo lapsi sint, vt inde conficiant ceteros omnes eadem peccare, licet de his nihil eiusmodi audiatur, nec tamen iidem vxores repudiant, nec matres inculant, licet audiant adulteria maritarum. At si de aliquo sanctum institutum professio increpuerit sinistri quidpiam, si falsus aut verus noxæ odor eos afflauerit, hic verò ingenium acuunt, huic adlaborant, & sudant vt persuadeant omnibus, omnes eiusdem propositi, vni eorum esse persimiles.] Licet ex vno illorum cognoscere quid de nobis alij obloquantur, qui omnes vnus aut culpa, aut suis suspicionibus reos esse nos volunt, *Nec causâ, inquit, nec culpa earum re-*

XIV.

*Quarta, error
res paucorum
omnibus at-
tributi.*

In psal. 118.

*Aug. de
Genesi c. 5.*

Epist. 137.